

§. XX.

Usum Medicus R. P. iterum præstabit *Medicina Forensi*, quæ res complectitur tam nat: quam p. n. dubias, quarum disquisitio & dijudicatio uti e principiis physico medicis dependet, a Medico quoque eorum gnaro, omnium optime peragitur. E quibus præcipuum fere quidem est disquisitio vulnerum, simul tamen necessitatis ratione valde controversa. Nonnullis præclarissimorum Icturorum autumantibus, vulnerum disquisitionem lethaliæ, vulneratis brevi post læsiones acceptas pereuntibus esse superfluam. Sed pace tantorum Virorum, inspectionem vulneratorum, morte subitanea non obitante, maxime tamen necessariam esse has ob causas assevero: quoniam (1) sæpissime sub ipsis rixis, verberum vel vulnerum leviorum inflictionibus, apoplexiæ catarrhi suffocativi e causis plane alienis, disrutiones, aneurismatum, varicum grandiorum, interne & ante acceptum vulnus, per tempus jam latitantium; etiam sine his, solæ grandiorum vasorum sanguineorum, aut abscessuum interiorum, subitanæ disrutiones, vasorum cordis majorum subitanæ obturationes a polypis inhærentibus evenire possunt; ubi priores cum insigni sanguinis vel humorum profusione, ad interiora, plerumque, causam tam subitanæ mortis primariam, conjuncta suppeditant, exempla vid. apud LANCISIVM (m) & BONETVM (n) &c. istos quidem excipio casus, ubi vel caput a corpore solum plane detruncatum vel totum corpus in frustra discinditur. Concedo quoque in casibus istis ubi cerebrum cum majoribus & copiosioribus suis vasibus discinditur, aut dilaceratur, vel in vulneribus colli majoribus, cum discissione asperæ arteriæ, venarum jugularium, arteriarum carotidum, vel in uno vel utroque colli latere; vel in vulneribus & læsionibus majoribus vertebrarum colli, cum

D 3

distor-

(m) de subitaneis mortibus observat, (n) Anatom. Pract. variis locis